

**Nicolai Mirepsi Alexandrini de compositione Medicamentorum,  
Operis a Leonharto Fuchsio latinitate donati & Annotationibus illustrati,  
De Antidotis, Sectio prima.**

**Aurea Alexandri**

Antidotus aurea Alexandri, ad capitis fluxiones praeclara. Dolorem enim eius confestim mitigat, oculorum lachrymas sistit, dentium dolores sanat, non modo epota, sed & imposita. Comitialibus subito factis penitus auxiliatur. Furiosorum incompositos motus compescit, & ad omnem capitis dolorem admodum est utilis. Prodest pariter tussientibus, tabidis, cardiacis, & **[a]** asthmaticis. Sanguinem evomentibus **[b]** propter excretionem ab erosionem ortam, mirifice opitulatur. Confert etiam resolutis, & malis **[c]** viscerum & laterum. Lapidem conterit. Stillicidium & difficultatem urinae solvit, & omnia uteri vicia. Quotidianis, tertianis, & quartanis febribus ante invasionis horam sumpta, succurrit. Quisquis vero per consuetudinem hanc ipsam antidotum semper sumperit, is neque apoplexiae, neque colico malo unquam obnoxius erit.

Conficitur autem antidotus haec in eum modum. Asari hyoseyami, carpobasami, singulorum. 3.ii.ss. Caryophylli opii, myrrhae, cyperi, singulorum. 3.ii. Balsami, cinamomi, folii, zedorariae, zingiberis, costi, corallii, casiae, euphorbii, tragacanthae, thuris, styracis, calamitis, **[d]** salviae, mei, **seselis**, sinapi, saxifragi, anethi, anisi, singulorum. 3.i. **[e]** Xyloaloes, **[f]** rhei pontici, aliptae, moschatae, castorii, spice, galangae, opopanax, anacardii, mastiches, sulphuris ignem non experti seu crudi, poeniae, eringii, carnis palmularum, **[g]** hermodactyli rubri & albi, rosarum, thymi, acori, pulegii, aristolochiae longae, **[h]** gentianae, corticis radice mandragorae, chamedryos, phu, ameos, baccarum lauri, piperis longi, piperis albi, xylobalsami, **[i]** carnabadii, amomi, **[k]** macedonensis seminis, libystici, rutae seminis, **[m]** sinonis, singulorum. 3.ss. Auri puri, argenti puri, margaritarum non per so ratarum, **[n]** ossis anterioris narium purpureae, ossis cervini cordis, singulorum grana frumentacea quatuordecim. Lapidis zaphiri, smaragdi, iaspidis, singulorum. 3.i. Nucis avellanae, drachmas duas. Pyrethri, ramenti eboris, calami odorati, singulorum grana frumentacea viginti novem. Mellis aut sacchari quod satis est. Datur ea utentibus avellanae nucis quantitas. Utilis vero ad praedicta mala antidotus haec existit.

**Leonharti Fuchsii Annotationes**

**[a. Asthmaticis.]** Graece legitur *pneuma kardias*, nullo prorsus sensu. Legendum autem esse iudico *asthmaticois*, huic lectioni suffragantibus versione Nicolai Rhegini Calabri, & vulgaribus latinis Nicolai codicibus, qui habent *suspiriosis*. Actuarius quidem huius etiam compositionis meminit: ideo facile, si modo graecus extaret, ex eo locus hic constitui & emendari posset. Ruellius ita convertit praesentem locum: Tabidus, tussiculosus, humorem a pectore reiicientibus. Quos autem humorem a pectore reiicientes vocarit, nequeo satis divinare. Puto tamen asthmaticos hac periphrasi significasse.

**[b Propter excretionem.]** In manuscripto codice graeco perperam scriptum est, di anagôgês